

Bibliothèque numérique

medic@

**Desormeaux, Léon-Saturnin -
candidat / Lebas, Jean - président. -
De partu naturali**

1775.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
Typographi, viâ Cithareâ,
Cote : ms 2344, n°25***

DE PARTU NATURALI.
T H E S E S
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ;

QUAS, DEO JUVANTE, & Præfide D. JOANNE LEBAS,
Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, Collegii Scholarum-
que antea Moderatore, nec-non tunc Regiæ præfecturæ Medicinæ
à Consiliis; Academia Regiæ Chirurgiæ, Scientiarum Littera-
rumque Nanceii Socio, Nosocomii Charitatis Parisiensis à Chi-
rurgicis Consiliis, artis obstetriciæ Professore publico, Librorum
Censore Regio, &c. tueri conabitur LEO-SATURNINUS
DESORMEAUX, Balseus, Xenodochii generalis in Domo
dictâ la Salpêtrière olim Chirurgus, in almâ Universitate Pari-
sienfi, Artium liberalium Magister.

oilheaux =

PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,


Die Veneris 10^a mensis Novembris, A. S. H. 1775,
à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii
Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXV.





D. O. M.

T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

De Partu naturali.

I

PARTIBUS generationi dicatis vir mulierque gaudent. Has ita disposuit supremus rerum Artifex, ut in utroque sexu aliæ appareant extûs, intûs autem aliæ recondantur. Quæ, juvante scalpello, subjiciuntur oculis, internarum, alteriûs ordinis, externarum nomine donaverunt anatomici.

A ij

PROFAGANDÆ soboli sexus uterque idoneus, modò sit omnibus numeris absolutus. De organis dicere virilibus, in hoc ce programme, inutile censuimus. Sed, cùm ad conceptionem primò, dein ad infantis expulsionem, hæc assignaverit natura; fæminina explanabimus.

I I I.

PARTES genitales muliebres, in internas & externas distribuuntur. Quæ sine sectione, aut violentâ diductione conspici possunt, externæ vocantur, pudendorumque nomine designantur.

Montem veneris, fissuram magnam, labia majora, nymphas aut labra minora, plexumque retiformem, clytoridem, meatum urinæ, foveam navicularem & perinæum, harum-ce ordo complectitur. Tandem, orificium vaginæ circà fissuræ magnæ medium, inter nymphas positum, cujus in superiore parte later urethra, reperire est.

I V.

PARTES genitales internæ plurimæ sunt, inter quas, 1^o. vagina, 2^o. uterus nîve matrix, 3^o. tubæ fallopianæ, 4^o. ovaria, 5^o. vasa tum sanguifera cùm lymphatica nec-non nervosa recensentur.

Vagina, canalis est membranaceus, oblongus, & rugosus, à vulvâ ad uterum extensus.

Viscus musculosum, membranaceum, spongiosum, nervosum, vasculosum, figurâ triangulum pyrique compressi formam exhibens; interiùs cavum, inter intestinum rectum & vesicam urinariam in hypogastricâ regione situm; fœtui, novem ut plurimum mensibus, alendo formandoque dicatum, in fundum, corpus, & cervicem divisum, Uterus dicitur.

Fundum uteri, ferè liberum, nullique corporis parti solidæ adhaerentem credimus; unde fit, ut in gravidis faciliùs extendatur.

Sex ligamenti uterus, duobus scilicet latis ad latus, totidemque posterioribus supernè (a), ambisque aliis teretibus collocatis, in suâ sede firmatur.

Priora, & posteriora à peritonæi duplicaturâ procedunt; rotunda à parte superiore uteri orta, transeunt per annulos musculorum abdominis, & mox in pinguedine, ibidem, juxta inguina terminantur. Uteri corpus à fundo, à corpore collum quod usque ad vaginam protenditur, originem ducunt.

Vasa deferentia quondam dicta, utroque juvante ligamento terete, cum utero tubâque fallopianâ, ligamenti lati beneficio, societatem ineunt.

Canales ambo numero, ferè conici, tortuosi, tubæ propter figuram à fallopio dicti, utero continui, ad illius fundi dextram & sinistram partem assurgunt. Dein per cellularem ligamentorum latorum substantiam serpentino quasi ductu progredientes, alterâ, & ampliori suâ extremitate fimbriatâ, versus ovaria diriguntur.


Corpora duo, lateribus uteri adhaerentia, lævia & albicantia, ovariorum, aut, secundum veteres, testium muliebrium nomine insigniuntur.

(a) Veteres Anatomici, ut refert D. PORTAL, in *Hist. Anat. Chir.* tom. V. pag. 411, ligamenta octo admittunt. Matrix, inquit HERM. veluti animal furibundum octo ligamenti alligatur quatuor superioribus & quatuor inferioribus.

GABRIEL DE ZERBIS, Veronensis, etiam descripsit hæc ligamenta versus finem XV seculi: Colligatur primò matrix, inquit, fortibus ligamenti posteriùs cum dorso, in directo, seu ad partem renum superiorem & anteriorem; alligatur etiam ossibus anchorum, deindè aliis mediis quæ sequuntur matricem, intestino recto, quod, post ipsam, est retrò,

PARTES internæ, generationi inservientes, in pelvi includuntur,

Tertia, & inferior, seu ultima trunci pars, ossibus binis speciatim tripartitis, dum adolescit fœmina, præcipuè constituitur. Hæc autem cartilagineâ ligamentosâque symphyfi sic invicem & cum osse sacro, à quo perficitur, mediante Coccyge, connectuntur, ut pelvis speciem non malè referant.



I.

PARTUS est exitus infantis ab utero; qui quidem optimè dividitur, in naturalem & contra naturam. Prior à naturâ, alter ab arte obtinetur. Hic agitur de naturali.

I I.

NATURALIS partus aut celeriter aut lentè absolvitur. Quem perficiunt intra sex & triginta horas uteri contractiones, ille celer, facilis aut simplex; qui fit tardiùs hoc assignato tempore, lentus, difficilis, aut laboriosus nominatur. Causas, à quibus pendet difficilis, ad libitum interrogantis enumerabimus.

I I I.

PARTUS naturalis mechanicè perficitur, uteri nempe, diaphragmatis, musculorumque abdominalium contractione. Committi potest obstetrici in illo casu, si quidem natura sibi sufficit.

I V.

UT partus sit naturalis, aut simplex, requiritur 1°. ut infantis partes pelvis spatio qualicumque consentaneæ sint, ipse

que situ idoneo fruatur in utero; 2^o. ut pelvis & partium tum internarum cum externarum mollium fabrica, nullo vitio infantis exitui nocuo afficiantur.

V.

Ex his conditionibus una, modò sit essentialis, si deficiat, partus erit laboriosus, imò difficillimus, pro defectu conditionis.

V I.

PARTUS ergo, naturæ congruus esse non potest, nisi pelvis, cæteræque partes superiùs enumeratæ, disponantur ita, ut uterus infantem citò foràs eliminet: & infantis volumen sit ipsismet congruum.

V I I.

INDE non modò structuram, mechanicam, & usum partium conceptioni inservientium, verùm etiam capitis dispositionem Chirurgum probè callere oportet.

V I I I.

CUM infans vitâ gaudens, aptè situs in utero, novem circiter menses adeptus est, modò volumen præsertim capitis nec solidioris haud sit amplius quàm requiritur, & vertex se offerat ita ut occiput superiùs, facies verò inferiùs (angustiiis superioribus, *le détroit supérieur*, gallicè dictis) hæreat, tunc illum egredi foràs ut plurimùm licet: parturientis verò pelvis ad naturæ leges accommodari, & uteri orificium in vaginam rectè dirigi interest.

I X.

PORRO dimensiones pelvis ita esse statuimus, ut angustiarum superiorum diameter à pelvi ad os sacrum quatuor pollicum & sex linearum, transversalis quinque pollicum, & utraque obliqua quinque pariter pollicum tribus quatuorve lineis sint protensæ.

MULIER staturæ mediocris, distantiam ab utrâque tuberositate ischionis utriusque, & ab ossis sacri junctione cum coccyge, quatuor pollices præbet. Indè tres lineæ dantur, quæ triangulum æquilateralem, cujus circumferentia est duodecim pollicum, suppeditant. (*Celeberrimus LEVRET.*)

X I.

CONTRACTIO fibrarum muscularium uteri, infantem membranis aut sacco incarceratum sensim sine sensu pellit. Caput angustias superiores ingreditur, dum obliquè ad dextram, aut sinistram vertitur: at sic procedit, ut in pelvis capacitatem minorem, & in excavationem, ipsius facies prolabatur. Tunc uteri contractionibus auctis, in ramos ischionis pubisque pellitur occiput infantis, dum coccyx faciei ejus egressui obstaculum præbet: sed prout labor auget, cedit ipse coccyx, & tunc facies à posteriori ad anteriorem partem surgit.

X I I.

CHIRURGUS ad laborem uteri intentus, unam primò, dein alteram infantis scapulam arripit, & in maximam diametrum sinûs inferioris, truncum dirigit: tunc parturientis operâ perfectâ, funiculi sit, secundùm artem, si sit necesse, ligatura.

X I I I.

DEIN placenta uterino eretismo foràs ejicitur, aut arte extrahitur.

X I V.

PLUS minusve sanguis pro plethorâ fluit; postea quies in lecto puerperii doloribus parato à Chirurgo, prout exigit rei natura, præscribitur: tandem, mulier in lectum translata, supinè collocatur.

F I N I S.